

P. PAPINI STATI

labetur caelo miscebitque oscula iuxta.
ibit in amplexus natus fraterque paterque
et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.

Vtere perpetuum populi magnique senatus
100 munere. Apelleae cuperent te scribere cerae,
optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elei senior Iovis, et tua mitis
ora Tarans, tua sidereas imitantia flammās
lumina contempto mallet Rhodos aspera Phoebō.
105 certus ames terras et quae tibi templa dicamus.
ipse colas; nec te caeli iuuet aula, tuosque
laetus huic dono videas dare tura nepotes.

II

EPITHALAMION IN STELLAM ET
VIOLENTILLAM

Vnde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
cui, Paeān, nova plectra moves umeroque comanti
facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
demigrant Helicone deae quatiuntque novena
5 lampade sollemnem thalamis coeuntibus ignem
et de Pieriis vocalem fontibus undam.
quas inter vultu petulans Elegea propinquat
celsior adsueto divasque hortatur et ambit
alternum fultura pedem, decimamque videri
10 se cupit et medias fallit permixta sorores.
ipsa manu nuptam genetrix Aeneia duxit
lumine demissam et dulci probitate rubentem,
ipsa toros et sacra parat coetuque Latino
dissimulata deam crinem vultusque genasque
15 temperat atque nova gestit minor ire marita.
Nosco diem causasque sacri: te concinit iste
(pande fores!) te, Stella, chorus; tibi Phoebus et Eūhan